



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Principia Juris Canonici : Ex Libro ... Decretalium Gregorii  
IX. Pontificis M / Antehac In Alma & Archi-Episcopali  
Benedictina Universitate Salisburgensi**

**König, Robert**

**Salisburgi, 1725**

**VD18 80460526**

11. De Infantibus, & languidis expositis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61800](#)

*ad d. confit. Carol. art. 131. sub n. 1.* ubi testatur, hanc sententiam hic loci communiter secutum fuisse laudatissimum Consilium Aureum.

**12** De jure Canonico dolosè occidens filium in Monasterium detrudebatur ad agendum perpetuam poenitentiam. *c. 1. b. t.* At hodie pena est arbitraria pro excessu augenda, vel minuenda. *P. Engl. ad b. t. n. 1.* Quodsi parentes dormientes tenellum infantem in eodem lecto locatum citra dolum & intentionem, præviâ tamen aliquâ culpâ, aut negligentiâ oppresserint, per tres annos poenitentiam agere, unûmque eorum in pane, & aqua peragere debebant. *c. fin. b. t.* Qui rigor similiter obsolevit. Decian, in *Pr. crim. lib. 9. c. 8. n. 20.* Menoch. *lib. 2. de Arbitr. jnd. q. 356. n. 61.*

**13** *Penâ parricidii improprie talis* est poena legis Corneliaz de sicariis, id est, ordinarium homicidii supplicium. *I. 1. L 9. §. 1. ff. Ad Leg. Pomp. de parricid.* nisi quod interdum ob circumstantias exasperetur, ita enim reus in casu interfecti conjugis, vel consanguinei proximioris antea forcipibus carentibus aduritur, vel trahâ impositus ad locum supplici rapitur juxta *Constit. crim. Caroli V. art. 137. in fin.* Petr. Theodoric. in *Col. crim. c. 7. aphor. 8. n. 26.*

## TITULUS XI. De Infantibus, & languidis expositis.

### SUMMARIUM.

1. Quid sit exposicio infantum? 2. Repugnat iuri naturali? 3. 4. A quibus? 5. In quos? 6. quo modo? 7. Et qua intentione committatur?
8. Quibus partis afficiantur it, qui exposuerunt? 9. Quinam expostum teneantur alere? 10. Quid juris circa expositionem languidorum?

**P**arricidio proxima est exposicio infantum: tam enim nefarium est exponere, quam necare infantem. *I. necare. 4. ff. de Agno/6. & alend. lib.*

### §. I.

*Definitur* exposicio infantum, quod sit de- licium, quo partus recens à patre, vel maire quasi pro derelicto habitus, exponitur, & fortunæ casibus objicitur.

### §. II.

*Causa* efficiens expositionis infantum est duplex: remota & proxima.

*Remota* est jus, quod natura omnia animalia docuit: nam, ut Justinianus in *Novel. 153. in pr. lopuitur.* exposicio infantum est crimen à sensu humano alienum, quod ne ab illis quidam Barbaris admitti credibile est. Sed verò optandum non sperandum illud sæculum aureum, quod malitia hominum ita defebuerit, ut hæc, & alia facinora essent inaudita.

*Proxima* sunt Parentes, qui contra instans à natura pietatis rationem recens natos abli- ciunt, & exponunt, tantò deteriores homicidiò pollutis, quantò calamitosioribus id infi- runt. *I. fin. C. b. t. Novel. 153. c. 1. in fin.*

*Quæstio* aliquando incidit, an ab immanti hoc crimine, ejusque penis excusat mater, quæ non ex malevolentia erga prolem, sed tantum ad declinandam infamiam infantem exposuit?

In affirmativam preendet Jul. Clat. *s. Sent. §. fin. q. 83. n. 7.* ubi refert, à Senatu Mediolanensi puellam nobilem absolu- fuisse, quæ honoris servandi causâ infantem exposuit, idque rectè judicatum defendit Menoch. *de Arbitr. lib. 2. casu 396. n. 6.* eo quod non impietas eam moverit, sed proprius honor, qui non modò filiis, sed & vitæ pro- priæ antefertur, arg. *I. isti quidem. 8. §. 2. ff. Quod metus causa.*

Verum displicet hæc sententia: quia licet honor æquiparetur vitæ, atque ad tuendum ho-

honorem licet vitam propriam, aut alienam periculo obsecere, id tamen solum pro cedit contra injustum violatorem, & si ab alio injuste invadatur, vel auferatur honor: econtra ubi justè vel honor lèditur, vel etiam vita periclitatur, alium occidere, vel periculo exponere haud licet juxta decantatum illud brocardicum: *ubi justa offensio, ibi injusta est defensio.* Cùm ergo in casu præsenti nemo injuste honorem sceminae impetrat, sed ipsa antecedenter unà cum corpore honorem..., quoque suum turpiter, ac sponte prostituerit, ex quo naturaliter problem nascituram, & inde imminentem infamiam prævidere debuit, non potest ex postfacto cum periculo, aut interitu prolis innocentis famam suam defendere, aut certè pari ratione contra sensum omnium DD. prætextu evitandæ infamiae excusandæ essent matres, quæ non solum exponunt, sed positivè jugulant infantes suos: liquidem nihil interest, terro, vel fame, violentiā manuum injectione, an alimentorum debitorum subtractione infans enecetur. Text. & Gloss. in L. 2. C. h. cit. d. l. necare. 4. ff. de Agno. & al. lib. Novel. 153. c. 1.

Et ex his diluitur ratio dissentientium: cùm enim mater à principio rei illicitæ operam derit, omnium inde subsequentium facinorum justa excusatio nec honoris defensio, nec illa alia esse potest.

## §. III.

*Objectum* hujus expositionis sunt infantes à Parentibus, vel ab aliis Parentum iussu expositi, quos in vernacula *Findl's Kindet/ Kindling / & nonnunquam weggetworfene Kinder nuncupamus.* Beloid. in *Thef. præc. V. Findling.*

## §. IV.

*Formam* expositioni infantum tribuit animus, ac propositum eos exponendi, ut per quod ab aliis delictis discernitur, cùm malefica voluntas & propositum delinquentis

distinguat. L. 53. in pr. ff. de Furtis. Hinc si infans parentibus ignorantibus, aut invitis furripitur, culpæ rei non sunt, quin potius furum, seu plagiæ commissum esse dicendum est, & patri actio furti competit per L. 14. §. 13. ff. de Furtis.

## §. V.

*Finis* expositionis infantum est, ut vel defectu alimentorum pereant, vel ab aliis commiseratione motis suscipiantur, & edacentur.

## §. VI.

*Effectus* expositionis infantum alias est ex parte exponentium, alias ex parte hos infantes suscipientium.


*Exponentes* subjicit pœnae partim civili, partim criminali. Ad *civilem* pertinet, quod pater exponens, vel consentiens expositioni eō ipso potestatem patriam amittat, nec *jura & nomen* patris, aut matris retineat, nisi quarenus filio favorable est, adeò ut expositus quidem impiis parentibus ab intestato succedat, & ex testamento legitimam prætendere possit, non hi vicissim: quandoquidem filium suum dicere nequeunt quem pereuntem contempserunt. Text. & DD. in c. 44. h. 1. & in L. 2. C. Eod. Circa pœnam criminaliæ in L. 2. cit. *Valentinianus, Valens, & Gratianus rescribunt*, parentes, qui liberos exposuerunt, subjacere animadversioni, quæ constituta est, nec exprimunt, quæ, & qualis sit animadversio. *Carolus V. in Constit. crimin. art. 132.* distinguit, num infans expositus vivus, an mortuus reperiatur? Priori casu locum habet pœna arbitriae consilio Prudentiæ definienda. Posteriori pro qualitate periculosa expositionis vel pœna corporis afflictiva, vel ultimum supplicium infligi jubetur. Unde mater mortis rea censetur, quæ infantem in sylva, vel alio loco deserto exposuit, ita ut mortem ejus præviderit, eaque secuta sit. *Christoph. Blumacher ad d. Constit. Carolin. art. 132. n. 1.*

Suscit.

**9.** *Suscipiendoibus infantes expositos expositio quidem nullam potestatem in illorum personas tribuit juxta c. un. b. t. l. 3. C. Eod. tribuit tamen jus aduersus nefarios Parentes, à quibus repeterere poterunt, quæ in alimenta erragârunt per l. I. C. b. t. l. 16. C. de Nuptiis. Quia nemo præsumitur Parentibus exponentibus beneficium præstare, aut in eorum gratiam filium expositum educare voluisse, utut intenderit donare, actumque misericordiae exercere respectu exposititii. Stephan. Gratian. Discept. forens. c. 267. n. 41. Barb. in c. un. b. t. n. 8. qui n. 4. advertit, quod exposititii, si pro his in Civitate extet hospitale quoddam, in eo ali, ac educari debeant: si vero simile aliquod hospitale non extet, nullusque è Populo gratis, & sponte occurrat, alimenta ab Ecclesia, aut à Communitate præstanta sint.*

**§. VII.**

**10.** *Affinis expositioni infantum est expositio languidorum sive liberorum, sive servorum, quos, cuiuscunque ætatis sint, Gregorius IX. in c. un. b. t. & Justinianus in l. 3. C. Eod. libertate donavit, ita ut sibi acquirant, & in posteritatem suam, vel in extraneos hæredes omnia, quæ habuerint, quomodo voluerint, transmittant. Ex quo Menoch. de Arbitr. Jud. l. 2. casu 396. n. 12. & 13. deducit, Dominum amittere jus vasallagii, si deserat vasallum periclitantem; & civem jus civitatis, si civitati oppressæ non succurrat.*

**TITULUS XII.****De Homicidio voluntario,  
vel casuali.****SUMMARIÆ:**

*1. Homicidii definitio nominalis. 2. Definitio reat. 3. 4. 5. Diversio. 6. Prohibitio.*

7. Usque 11. Quinam committant? 12. Usque 13. In quos committatur homicidium? 14. 15. Quo modi voluntarii? 16. Usque 24. Neces-  
rium? 25. 26. Aut casuale homicidium fiat? 27. 28. 29. Referuntur pænae homicidiis voluntariis, 30. 31. 32. An, & quibus pænis subjaceat homicidium necessarium? 33. 34. An, & que pena præstita sint homicidio casuali? 35. Quid sit mutilatio, & qua ejus pæna?

**E** Cuidem hoc titulo de omni homicidio in genere agitur, specialiter vero de voluntario, sive de eo, quod crimen est.

**§. I.**

*Homicidium à cædendo ac cæde deducitur, 1. 51. in pr. ff. Ad Leg. Aquil. & à Latinis cædes, examinatio, inter necio, aut imperfectio homicidii; à Germanicis ein Todtschlag / Mord / Mordthat indigitur.*

**§. II.**

*Definitur homicidium, quod sit corporis & humani animati interemptio. Zoël. b. t. n. 1.*

**§. III.**

*Dividitur homicidium divisione immediata in voluntarium, quod scienter sive ex intentione committitur; & in casuale, quod præter intentionem accidit.*

*Homicidium voluntarium subdividitur in voluntarium in specie, & necessarium. Volun-  
tarium in specie vocatur, quod dolô malo &  
animô occidendi quoquo modo factum est,  
l. 1. §. 3. l. pen. ff. Ad Leg. Cornel. de sciar.  
Species hujus sunt homicidium simplex, quod  
contingit in rixa temere exorta, aut ex subito  
irâ impetu cum rationis tamen advertentia:  
Homicidium deliberatum, seu præmeditatum,  
cum quis sedato iracundia calore, & præviâ  
animi deliberatione, seu præmeditata alteri  
mortem machinatus est: Homicidium ex ini-  
diis, cum quis inimicum suum occultè expe-  
ctat in certo loco, eumque ex improviso  
venientem aggreditur, & interficit: Homici-  
dium prodieratum, quo quis simulata ambi-*

*citio*